Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Valentino

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

ubi iniuriam faceret confestim et statim miserabiliter moritur. Cum autem quadam vice manus sibi lavaret, quidam episcopus aquam illam servari fecit, de qua quidam cecus postmodum curatus fuit. Cum in quodam loco de voluntate regis monasterium construere vellet, quidam episcopus proxime civitatis moleste hoc sustinens iussit famulos suos ut aut ipsum eicerent aut occiderent. Qui venientes dolose dixerunt ut secum pergeret et sibi aptum locum ad monasterium ostenderent. Ille autem maliciam eorum precognoscens usque ad cacumen montis ubi eum occidere cupiebant cum eis ivit, eo quod nimium martirium affectaret. Sed ecce tanta pluvia et tempestas irruit in montes ut se mutuo videre non possent, et se mori iam putantes prostrati veniam postulabant et ut eos vivos abire permitteret exorabant. Qui orationem effudit et serenitatem maximam impetravit. Illi igitur ad propria redierunt, et sic amandus evadens et multa alia miracula faciens in pace quievit. Circa annum domini dcxx tempore Eraclii.

De sancto valentino

Valentinus quasi valorem tenens, hoc est in sanctitate perseverans. Vel dicitur valentinus quasi valens tyro, id est miles christi. Miles dicitur valens qui nunquam cedit, fortiter ferit, se valenter defendit, potenter vincit. Sic valentinus non cessit martirium vitando, percussit ydolatriam evacuando, defendit fidem confirmando, vicit paciendo.

De sancto [illegible]

Valentinus venerandus presbiter fuit, quem claudius imperator ad se adduci faciens interrogavit dicens: Quid est valentine? Cur amicicia nostra non frueris, ut deos nostros adorans superstitionem tue [illegible] vanitatis? Cui valentinus: Si gratiam dei scires, nunquam ista diceres, sed ab ydolis animum revocares et deum qui est in celis adorares. Tunc quidam qui claudio astabat dixit: Quid vis dicere valentine de sanctitate deorum nostrorum? Cui valentinus: Ego de eis nil dico nisi quod fuerunt homines miseri et omni immundicia pleni. Ad quod claudius: Si christus verus deus est, cur michi verum non dicis? Cui valentinus: Vere christus solus deus est, in quem si credideris, anima tua salvabitur, res publica augebitur et inimicorum tuorum victoria tibi concedetur. Audiens claudius astantibus dixit: Viri romani, audite quam sapienter et recte loquitur homo iste. Quomodo deseremus quod ab infancia tenuimus? Et tunc cor claudii immutatum est. Tradidit autem eum cuidam principi in custodiam. Cumque in domum suam ductus fuisset, ait: Domine ihesu christe qui es verum lumen, illumina domum istam, ut te deum verum cognoscant. Cui prefectus: Miror te dicentem quod christus est lumen. Equidem si filiam meam cecam illuminaverit, faciam quecumque preceperis. Tunc valentinus orans eius filiam cecam illuminavit et omnes de domo sua convertit. Tunc imperator valentinum decollari precepit circa annum domini cclxxx.

De sancta Juliana de nocte

Juliana cum eulogio prefecto nichomedie desponsata esset et nollet sibi aliquatenus copulari nisi reciperet fidem christi, iussit eam pater suus expoliari et gravissime cedi ac ipsam prefecto tradi. Cui prefectus ait: Dulcissima mea iuliana, cur me ita delusisti ut me sic renuisti? Cui illa: Si tu adoraveris deum meum, acquiescam, alioquin nunquam domina tua ero. Cui prefectus: Domina mea, hoc facere non possum, quia imperator amputari faceret caput meum. Cui iuliana: Si tu ita times imperatorem mortalem, quomodo vis ut ego imperatorem non timeam immortalem? Fac quicquid vis, quia me decipere non valebis. Tunc prefectus iussit eam